

D V C A T V S
I V L I A C E N S I S.



PROVINCIAE Imperii Germanici citra Rhenum in Gallico solo sita, sunt, Provincia Leodiensis, Ducatus Iuliensis, Coloniaensis Archiepiscopatus, Lotharingia, Austrasia, Alsatia & Comitatus Montbeliard. Ducatus

Comitatus olim.

Iuliensis Comitatus olim fuit, & anno 1329 à Ludovico Imperatore Marchionatus dignitatem titulumque adeptus est. Et mox, triginta scilicet post annis, à Carolo IV in Comitibus Mentensibus ad Ducatus fastigium ascendit. Primus Marchionatu functus fuit Guilielmus IV, qui & postea Dux factus. Filius huic fuit Guilielmus, qui patri successit in Ducatibus Iuliensis, & Gelrensi. Qui cum sine prole decessisset, successorem habuit Raynoldum fratrem. Eoque mortuo sine hærede, uxor affini suo Adolpho Bergensi nupsit, qui Ducatum Iuliensem & Bergensem accepit. Atque his itidem sine liberis extinctis, factus est Guilielmus Dux Iuliensis & Bergensis, cui natus filius, nomine Gerardus, in paterna ditione successor. Gerardo natus filius Guilielmus, qui quam unicam habuit filiam nuptum dedit Ducis Clivensis filio unigenito Iohanni. Et hac ratione tres Ducatus Iuliensis, Bergensis, & Clivensis uni Domino paruerunt. Ex Iohanne natus filius Guilielmus quartum Ducatum Gelrensem junxit tribus istis Ducatibus. Sed cum Carolo V bello implicitus, & ab eodem victus Gelriæ Ducatu cedere coactus fuit, ducta uxore filia Ferdinandi Romanorum Regis. Primaria urbs, quæ Ducatui nomen dedit, est *Iuliacum*, vulgo *Gulich*, Gallis *Iuliers*, cujus etiam in Itinerario meminit Antoninus. Situm est ad ripam Ruræ fluvii, arce validum. Paucis retro annis à Mauritio Nassovio victa arx in Fœderatorum venit potestatem. Nec longo post intervallo ab Hispanis, Duce Spinola victa, Hispaniarum regi anno 1622 cedit, contententibus inter se Ducibus Brandenburgico, & Neoburgico de Ducatus hujus & Cliviæ dominio. Extra urbem cœnobium Carthusianorum extruxere Principes Iulienses, reditibusque opimis ditaverunt. Est in eodem Ducatu *Marcodurum*, vulgo *Duren*, obsidione Caroli V celeberrimum. Etiam *monasterium Eyphalea*, *Munster-Eyffel*, in vallibus positum non longe à fontibus Ervatis fluvii. Sunt præterea hic oppidula *Euskirchia*, *Berchemum*, *Castrum*, vulgo *Caster*, *Germania*.

Marchionatus Ducatus.

Duces.

Iuliacum.

Marcodurum.

Alia oppidula.

à castro, quo munitur. *Grevenbroeck*, *Slabach*, *Dalen*, *Wassenberg*. Arces plurimas habet, quæ Nobilibus & Equestribus familiis nomen dederunt, *Palant*, *Meroden*, *Reussenberg*, *Nesselroden*, *Wachten-donck*, modo à Fœderatis, modo ab Hispanis occupatas. Est etiam Baronatus *Wickradiensis*, arcem habens fortissimam, Quadorum sedem. In hoc ipso tractu sita est urbs *Aquensis*, sive *Aquisgranum*, Gallis *Aix*, Germanis *Ach* / Flandris *Aken*. Grani adjectio unde sit, dubium, quum alii *Aquas grani*, alii *Thermas grani*, alii *Grani palatium*, alii *Aquis-granum* vocent. Qui *Granum* quendam *Neronis* fratrem commenti sunt, prodiderunt suam audaciam: finxerunt enim ipsi, quod à nullo scriptore traditum est. *Sylpurgus* putavit *Aquas Gratianas* vero nomine appellatas fuisse. Sed unde hoc ipse habuerit, nescio. Nec defunt, qui existiment, nomen derivatum ab *Apolline Granno*, quem in *Rhætia* cultum constat. Sed ut in *Rhætia* istud sit, unde liquebit *Grannum* in *Gallia Belgica* cultum fuisse, aut appellationem urbi dedisse? Ego, quum videam hoc nomen etiam ante *Caroli Magni* ævum fuisse usurpatum, iis adsentior, qui putant à *Serenio Grano Præsidi Romano* urbem conditam sub *Hadriano Imperatore*. Sita est autem à *Trajecto superiore* quarto milliari, tertio à *Limburgo*, sexto à *Leodio*. Opportunitas loci & fecunditas allexit vicinos ad sedes istas incolendas. Sed surgentem adflixit *Attila Hunnus*, neque hanc tantum, sed vicinas omnes, quacunque incedebat cum numerofo quingentorum millium exercitu. Restituit vero eam *Carolus Magnus*, qui etiam ob *Francici regni* viciniam, voluit ut ibi *Imperatores* coronam Imperii acciperent: quæ res etiam postea distractis ab Imperio Gallis, tamen in usu usque ad *Carol. V* mansit. *Aula* & tumulo *Caroli Magni* superbit. Fontes *Aquenses*, in solo plano, præter aliorum naturam, prope civitatem Imperialem scaturiunt, sale, sulfure, & alumine imbutæ, *Emsensium* more propemodum ferventes. Tum potæ, tum in balneis illæ salutare sunt, nervosis, contusis, vulsis, ruptis, distortisque membris. Torpida resolutaque instaurant. Vteros mulierum egregie calefaciunt, ut facilius concipiant, externa corporis vitia mirifice abstergunt.

Aquisgranum.

Fluvii Ducatus hujus sunt, *Rura*, qui in duas *Fluvios* regionem omnem partes dispescens prope *Rurmundam* in *Mosam* se exonerat: & *Erpa*, non longe à monasterio *Eyphalea* originem ducens, & prope *Novesium* in *Rhenum* excurrens. *Niersa* in his terris fontes habet.

P p

DV-